



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

Disp. LIII. De Habitu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

tificari cum quolibet Vbi, sed cum illo, in quo potest reperiri.

III.

Deinde est certum, situm maxime proprie conuenire animalibus, in quibus sunt partes diuersarum rationem ac figurarum, & ex propria & intrinseca virtute diuersimode componi possunt, aut disponi in ordine ad locum. In a suis vero rebus, praesertim si vniuersales sint seu homogeneae, non ita facile potest distingui situs ab vbi, saltem considerando solam ipsam dispositionem internam, non autem externam, partium absque habitudine ad alia corpora vniuersi. Nihilominus tamen potest in eis considerari aliqua ratio situs, quae consistat in ista dispositione partium inter se quamuis per analogiam, vel proportionem ad ordinem vniuersi à nobis explicetur. In ipso enim vniuerso, quatenus est aliquo modo vniuersum, & quasi artificiatum quoddam compositum, ex congruenti dispositione suarum partium, intelligi potest quidam situs, & quasi dispositio totius ratione cuius diuersa corpora dicuntur habere diuersum situm in vniuerso. Qui quidem situs in vnoquoque corpore partialis est respectu vniuersi, tamen respectu talis corporis est totalis, confluentem ex partialibus sitibus suarum partium, & sic quodlibet corpus habet suum situm quatenus partes eius habent superiorem vel inferiorem locum inter se, & in ordine vniuersi. Quamuis enim situs non consistat intrinsece in his respectibus, non tamen potest à nobis eius ratio sine illis exponi. Vnde etiam in animalibus non potest positio omnino praescindi ab his respectibus: nam qui rectus sitat ordine naturali suarum partium diuersum situm habere censetur ab eo, qui inuerso ordine caput habet inferius, & pedes superius, etiam si alioqui haberet corpus aequae extensum, & in eadem figura dispositum. Sic igitur potest situs inueniri etiam in corporibus inanimatis, maxime tamen attribui solet iis, quae habent partes diuersarum rationum. Vnde etiam corpora artificialia quatenus diuersis partibus constant, positionem & situm habere censentur, ut domus, in qua fundamentum est inferius, tectum superius, &c. modo & exercitus eo modo, quo est vnum quid suam habet positionem, quando ordinate constitutus est, non quod positio sit relatio ordinis, sed quod ex partibus sic ordinatis talis dispositio totius confluat.

IV.
Qua sunt
species si-
tus.

Ex his facile est intelligere sub hoc genere positionis plures species distingui posse quas breuiter colligit Albertus libro de sex princip. tract. de positione, cap. 1. dicens, differentias subalternas huius praedicamenti, esse aequae, vel non aequae poni seu flexae, aut rectae: speciales vero differentias esse sessionem, stationem, & cetera quae etiam nomen asperum, & leue in cap. 2. Quod etiam habet Diuus Thomas opuscul. 48. Vnde etiam videtur sequi, ut idem Albertus obicit dicto capite 2. etiam curuum vel rectum, prout praecise oriuntur ex positione partium in loco pertinere ad praedicamentum situs quia etiam illae differentiae dicunt quendam dispositionem totius, confluentem ex positione partium, quod admittere non est magnum inconueniens, nam reuera statio & sessio ratione rectitudinis & curuitatis maxime differunt, non quod ipsa figura ut sic sit positio, & pertineat ad hoc praedicamentum, sed illa dispositio totius in ordine ad locum secundum talem ordinem partium, ex qua sequitur talis figura. Quocirca sicut species figurarum, & habitudines partium secundum partialia loca, possunt infinitis modis variari & disponi, ita species situs innumeris modis variari possent.

V.
Qua sunt
proprietates
situs.

De proprietatibus autem situs plura disputat Albertus supra capite 3. 4. & 5. quas breuiter colligit Diuus Thomas dicto opuscul. capite 2. Et in primis illi attribuunt illas duas communes proprietates, scilicet non habere contrarium, & non recipere magis & minus: de quibus nihil occurrit addendum, praeter

ea, quae de Vbi dicta sunt: nam licet vna positio repugnet alteri, illa non est propria contrarietas, sed scilicet eadem diuersitas, sicut etiam vna figura repugnat alteri. Potest autem attribui his speciebus situs illa oppositio, quae est inter terminos motus quatenus homo exstante sit sedens, & sic de aliis, tamen etiam illud non est primario ratione situs ut sic, sed ratione Vbi, quia ut diximus, motus localis per se primo est ad Vbi. Addunt vero eum Gilberto Porret. maxime proprium esse huius praedicamenti, proxime assidere substantiae: & vim faciunt in verbo assidendi, prout distinguuntur à verbo inherendi. Sed non censo hanc proprietatem esse necessariam, quia etiam si sub illo verbo assidendi comprehendamus omnem modum vel relationem aut denominationem, quae non supponit propriam & rigorosam inherentiam, immediatus assidet substantiae corporae (de qua est sermo) Vbi, quam situs. Sed haec parui momenti sunt, & ideo de hoc praedicamento dicta sufficiunt.

DISPUTATIO. LIII.

De habitu ut quoddam genus accidentis
constituitur.

Hanc vocem *habitus* supra disputatio. In qua. ne 40. de speciebus qualitatis differ-
do explicuimus. Vnde omnia illa li-
gnificatione, qua vel dispositionem
quolibet permanentem corporis aut
animae vel propriam quandam speciem qualitatis
significat hic agendum est de altero significato eius,
quod censetur esse peculiare genus entis, cuius com-
munem rationem primo declarabimus, deinde bre-
uiter, quae ad subiectum, species, & proprietates eius
spectare videbuntur.

SECTIO I.

Virum habitus sit aliquid extrinsece denominans,
& quale illud sit.

In hoc praedicamento explicando eadem est diuersitas opinionum, quae in aliis sex. Omittenda vero est opinio, quae coniungit absolutum cum respectu praedicamenti, quia eius impugnatio eiusdem rationis est in omnibus his praedicamentis. Omitto etiam opinionem de relationibus extrinsecis aduenientibus, propter eandem causam, & quia sic hic interuenit aliqua relatio, illa intrinsece sequitur positum termino & fundamento proximis, ubi debito modo explicentur.

Opinio Gilberti, & definitio habitus,
expenditur.

Superest ergo tantum tractanda opinio, quam insinuat Gilbertus, & aliqui sequuntur, nimirum quod habitus sit quoddam accidens, quod resultat in corpore vestito ex adiacentia vestimenti, ita enim exponunt illam definitionem Gilberti, *Habitus est corporum, & eorum, quae circa corpus sunt, adiacentia*. Ecce potest haec sententia confirmari ex Aristotele 5. Metaphysicorum ca. 20. ubi ait habitum esse quendam actum medium inter habentem & rem habitam: sicut actio (inquit) media inter agens & effectum, sic inter eum, qui vestem habet, & vestem quae habetur, medium est habitus: unde infert ipsum habitum haberi non posse, scilicet alio habitu medio, ne in infinitum abeat. Igitur ex sententia Aristotelis, habitus

tus non est vestis, quæ extrinsecus adia- cer, sed est (vt ita dicam) habitio ipsius vestis: hæc autem habitio quæ mediat inter vestitum & vestem, non est in veste, sed in vestito, qui dicitur habere vestem. Ratione potest confirmari, quia vestis non est accidens, sed substantia, item, quia si sola hæc denominatio à veste adiacente sufficeret, et constitueret hoc prædicamentum, innumera alia prædicamenta constituerenda essent, quia infinitæ sunt huiusmodi denominationes.

Formam huius prædicamenti esse extrinsecam vestem ostenditur.

III. Nihilominus dicendum est formam huius prædicamenti esse mede extrinsecam, puta vestem, vel aliquid simile, quæ non aliter informat, quam adiacendo, & extrinsece denominando. Declaratur explicando prius in hoc prædicamento quatuor illa quæ in cæteris prædicamentis accidentium interueniunt, nempe formam seu abstr. actum, subiectum formæ vnionem, & concretum seu compositum inde resultans. Forma igitur est vestis ipsa, subiectum est homo, verbi gratia qui induitur, vnio hic non est alia, nisi, circumpositio seu adiacentia indumenti illo modo, qui accommodatus est ad ornamentum, seu tegumentum subiecti quod vestitur: concretum autem est totum hoc, homo vestitus, vel incomplexum indutum. Quod autem hæc ita sint, ex ipsa declaratione satis fere probatur, nam hæc intelliguntur facile, & sufficienti ad veritatem & communem vsu. harum denominationum, & quidquid ultra additur, intelligibile non est. Nam in corpore quod veste induitur præcise ex adiacentia vestis nulla res vel modus realis pullulat, nisi forte relatio propinquitatis aut contrarietatis, vel alia similis, quæ sine dubio prædicamentalis est. Et confirmatur: nam homo sine sui mutatione potest vestiri, solum per adiacentiam vel circumpositionem vestis: imo hæc ipsa mutatio non terminatur per se ad propriam formalitatem huius prædicamenti vt sic, sed ad Vbi, & inde statim consequitur illa denominatio. Non est ergo forma huius prædicamenti aliquis modus intrinsecus eius rei seu obiecti cui attribuntur denominationes huius prædicamenti, nam hoc subiectum est homo, qui vestitus dicitur, in quo omnes conueniunt, & tamen in eo nullus talis modus excogitari potest, qui verissimilis sit.

IV. Quando ergo Aristoteles dixit habitum esse quid medium inter vestem & vestitum, non est locutus de forma huius prædicamenti, sed de vnione talis formæ, quæ claritatis gratia magis significatur, si vocetur *habitio*. Est enim aduertendum, quod interdum habere, significat indifferenter quamcumque relationem inter rem habentem, & habitam, quomodo dicitur totum habere partes & subiectum accidentia & pater filium, & dominus seruum: & hæc significatio explicatur ab Aristotele in Postprædicament. est enim valde analoga, & quasi transcendentalis. Atque hoc modo dicitur homo habere vestem, si illam possidere tamen ea indutus non sit, tamen illa non est denominatio huius prædicamenti, neque tunc vestis exercet rationem formæ respectu vestis, sed denominatur habita, vt terminus relationis domini seu possessionis. Propter hoc ergo dixit Aristoteles, quod sicut inter agens & effectum mediat actio, ita necesse est vt inter vestem & vestitum mediet habitio, vt homo denominetur habens vestem illo peculiari modo, quo denominatur indutus vel vestitus. Hæc autem habitio non est aliud quam vnio accommodata vestimenti ad hominem. Vnde maiorem proportionem habet hæc habitio cum vnione seu causalitate formali, quam cum actione. Et ideo licet sub nominibus significantibus informationem homo denominetur passiuè vestitus, vel indutus,

vestis autem quasi actiue, scilicet, vestiens aut ornans, tamen sub ratione habendi sit è contrario, nam homo denominatur actiue habens vestem, vestis autem passiuè dicitur habita, sicut forma dicitur quasi actiue informans materiam, materia autem denominatur quasi actiue habere formam. Et inde forte ortum habuit, vt forma huius prædicamenti denominata sit habitus.

Quod si quis curiose inquirat quid rei sit hæc habitio, respondeo non esse vnionem aliquam realem imo nec nouum realem modum: additum aut vestimento, aut rei vestitæ, in tali loco & situ constitutis. Primum est manifestum, quæ enim realis vnio fingi potest inter vestem, & hominem vestitum? secundum patet, quia positus homine & veste in tali dispositione & propinquitate locali & situ, etiam si ipsa vel inter lectus præcindatur omnis alius modus realis, verum erit dicere hominem esse vestitum: ergo superfluum est quidquam aliud fingere. Item sicut homo potest nudari omnibus vestimentis, nulla facta in eo mutatione reali, ita intelligere possumus, saltem per potentiam Dei posse annihilari hominem vestitum, manentibus vestibus inmutatis in eodem Vbi, & situ, & cum omni alio modo intrinseco: ergo signum est nullum modum similem interuenire: omitto enim relationes prædicamentales, quæ ad rem nihil deseruiunt, nam si aliquæ sunt in vestimento & vestito, consequenter se habent. Est ergo illa habitio, sola extrinseca adiacentia & accommodatio indumenti ad rem indutam: quæ licet in re non distinguatur ab ipso modo & dispositione, quam vestis habet in suo loco, tamen quia hic & nunc ratio ne illius ita comparatur vestis ad rem vestitam, vt illam ornet, & quasi informet, id vt sic est quasi vnio quædam ad illam, & consequenter etiam ratione illius dicitur res vestita peculiari modo habere vestem. Vnde illa adiacentia, habitio vel habitus appellata est.

Ex quo etiam intelligitur æquiuocatio, quæ in hac voce *habitus* intercedit: interdum enim significat meram denominationem passiuam ab habendo, quæcumque ratione res habeatur, & sic nullus est prædicamenti determinate, quia solum dicit denominatione termini alicuius relationis vel habitudinis: quid enim possideretur, vel quomodo libet haberetur, potest dici habitus illo modo. Alter vero significat hæc vox quasi substantiue sumpta, & per modum nominis abstracti certam speciem qualitatis: vt diximus. In præfenti vero significare potest aut vestem ipsam, aut accommodationem vestis ad rem vestitam, & hæc vltima significatione vsus est Aristoteles hac voce in citato loco. Ad tollendam vero æquiuocationem, nos habitationem illam appellamus, iam enim communiore vsu habitus magis significat vestem ipsam: & hoc modo dicimus habitum esse nomen abstractum significans formam huius prædicamenti, quæ solum est adiacens, & extrinseca. Ad quem sensum potest etiam facile accommodari definitio Gilberti.

Ad rationes in contrarium responsio

VII. Ad primam vero rationem respondet Diuus Thomas in citato opusculo 48. non omnes denominationes prædicamentorum accidentium sumi à veris accidentibus, sed aliquas posse sumi ab vna substantia, quatenus accidentaliter denominata sunt. Præsertim (vt ipsemet ait) quia vna substantia non sic accidit alteri secundum puram entitatem substantialem, sed vt affecta aliquibus accidentibus, scilicet, quantitate, qualitate, & aliis quæ necessaria fuerint. De qua re satis diximus in superioribus disputat. 39. explicando diuisionem accidentis in nouem genera: vbi etiam declarauimus, quæ denominationes extrinsece constituent, diuersas rationes

SECTIO II.

Quæ sint subiecta, species, aut proprietates habitus.

*Inanimata
habitu
rati.*



Subiecto huius prædicamenti D. Thomas citato opus significat: esse solum hominem, nam res inanimata non vestiuntur, alia vero animalia natura vestiunt pilis, plumis, &c. quæ vestimenta non pertinent ad hoc prædicamentum, quia sunt (ait D. Thomas) partes integrales suorum animalium. Homo autem solus, cum nudus nascatur rationem accepit, quæ sibi vestimenta parare posset, & ita hoc prædicamentum videtur solis hominibus convenire.

II.

*Hominum
industria
inanimata
habitu
rati.*

Addit vero idem D. Thom. denominationem huius prædicamenti extendi ad quædam alia animalia, quatenus industria hominis vestibus ornatur, aut armatur, ut simia, vel equus. Adde: e vero ulterius possumus eadem industria extendi hanc denominationem ad res inanimatas, saltem quatenus sunt imagines animatarum, & præsertim hominum: quo modo vestimus imagines. Imo interdum res alias, ut domos, palatia, &c. ornamus auleis, seu tapetis, quæ si ne dubio præbent denominationem pertinentem ad hoc prædicamentum.

III.

*Deaurati,
dealbati,
& huius-
modi deno-
minationes
ad hoc præ-
dicamentum
spectant.*

Denique addit ad hoc prædicamentum pertinere omnem denominationem provenientem ab una substantia, quæ solum per modum ornamentum alteri coniungitur, etiam si proprie vestis non sit, secundum communem usum huius vocis. Hoc patet ex dictis supra in divisione generum prædicamentorum, ubi ostendimus has denominationes, deaurati, dealbati, &c. ad hoc prædicamentum pertinere, quia sunt accidentales, & ad nullum aliud spectant, & aliqui habent faciem vniuocam convenientiam cum denominatione quam vestimentum tribuit. Atque ita tandem fit ut subiectum huius prædicamenti possit esse quodlibet corpus, præsertim maximum, nam simplicia non sunt ita apta ad has denominationes, quæ sunt terra prout ornatur herbis aut floribus, hanc denominationem participare videatur.

IV.

De speciebus habitus.

Ex hac vero subiecti explicatione facile colligi potest varias species sub hoc prædicamentali genere contentarum. Possemus autem maioris claritatis gratia ipsum summum genus non appellare nomine habitus aut vestimenti, sed ornatus, & illud distinguere in proprium vestimentum, & in ornamentum commune rebus inanimatis, ut tales sunt. Et rursum vestimenta hominum diuidi possunt, vel iuxta diuersas partes organicas, quomodo distinguimus pileum à calceo, &c. vel iuxta diuersos fines, quomodo distinguimus vestimenta propria ab armis, quæ D. Thomas supra ad hoc prædicamentum reuocat, & maxime videtur habere verum de armis defensionis, nam illa, quæ ad offendendum sunt, non coniunguntur homini per modum formæ, sed per modum instrumenti: unde, ut sic non tribuunt peculiariter denominationem prædicamentalem. Deinde ornamenta aliarum rerum possunt multis modis variari, nam quædam sunt pudentia tantum, seu extrinsecus adiacentia, alia sunt intimiori modo coniuncta, ut aurem in argento deaurato, & inter hæc facile potest alia distinctio & varias multiplex excogitari.

Proprietates habitus.

V.

Ultimo quod spectat ad proprietates huius prædicamenti, nihil fere dicere necesse est. Nam cum

forma huius prædicamenti sit substantia quædam, ut in se est talis res, eadem habet proprietates quas substantia corporea, ut variis accidentibus subest, amen ut forma est extrinseca, fere nullus habet proprietates peculiare. Aliqua vero accidentia videntur peculiariter pertinere ad eam constitutendam sub tali ratione, præsertim color, & figura, nam hæc duo, sicut ad pulchritudinem multum conferunt, ita etiam ad rationem ornamentum. Addunt D. Tho. & Albertus locis supra citatis, esse proprietatem huius prædicamenti recipere, magis & minus, sed non est intelligendum de susceptione magis & minus per propriam intentionem: sic enim, cum habitus sit substantia quædam, non magis potest suscipere magis & minus quam ipsa substantia, sicut ob eandem rationem non habet contrarium. Sed dicitur suscipere magis & minus secundum additionem quandam, non tantum extensionem ex parte subiecti, quod commune est aliis accidentibus, sed per multiplicationem vestium & circa eandem partem. Quomodo dicitur magis vestitus, qui duas tunicas habet, quam qui vnâ tantum.

Vnde etiam est peculiare huic prædicamento, ut vna forma eius possit alteri supponi, vel qualiter accidens ex voluntate homini, ut quando sunt vestes eiusdem rationis, vel per se ex institutione talis habitus, ut toga superponitur aliis vestibus quamvis denominatione semper referatur immediate ad ipsum hominem, homo est enim, qui togatus denominatur, & quamvis contingeret eadem interioribus vestibus, & solam haberet togam, ita denominaretur. Est etiam quodammodo proprium huius prædicamenti, ut formæ eius distinguantur secundum partes organicas hominis, & tamen simpliciter denominationem hominem: quamvis enim calceus, aut pileus, tantum sint in pedibus, vel capite, simpliciter dicitur homo pileatus, vel calceatus, & recte sequitur vnum ex alio, nam quando forma non est nata conuenire toti nisi ratione alicuius partis, tunc existens in sola illa parte denominat totum, sicut dicitur homo crispus propter solos capillos. Sicigitur, quia calceus est extrinsecus a forma solius pedis in illo existens, denominat totum, & sic de aliis. Et ob contrariam rationem quando denominatio ex se est communis toti, non sumitur simpliciter ab huiusmodi formis, & ideo non dicitur homo simpliciter vestitus, etiam si habeat calceos, aut pileum, &c. Et hæc tenet de nouem generibus accidentis.

DISPUTATIO LIV.

De entibus rationis.



Vamquam in prima disputatione huius operis dixerimus, ens rationis non quædam habere, sed quædam esse, & directio operis ad obiectum Metaphysicæ, ideoque ab ipso ens rationis etiam Philosopho ab hac tractatione exclusum fuisse in libro 6. suæ Metaphysicæ, nihilominus ad complementum huius doctrinæ, & ad Metaphysicum minus pertinere existimo, ea, quæ communia & generalia sunt entibus rationis tradere. Est enim eorum cognitio & scientia ad humanas doctrinas necessaria: vix enim sine illis loquimur, vel in Metaphysica ipsa, vel etiam in Philosophia, nedum in Logica: & (quod magis est) etiam in Theologia. Nec vero potest hoc munus ad alium, quam ad Metaphysicum spectare. Nam imprimis, cum entia rationis non sint vera entia, sed quasi vniuersa entium, non sunt per se intelligibilia, sed per aliquam analogiam & coniunctionem ad vera entia, & ideo nec etiam sunt per se scibilia, nec datur scientia, quæ per se primo propriè illa solum cognoscenda sit instituta. Quod enim hoc aliqui tribuunt